



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. I. Quibusdam præmissis, difficultas proposita triplici conclusione  
resolvitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

nem requirat actionem ipsius rei, si ad talem penam obligare voluerit: Sed hanc suam voluntatem explicat per illam particulam legis, *ipso facto*, aut *ipso jure* quia per nulla verba potest commodius aut melius explicari: Ergo leges penales continententes penas latis, obligant ante iudicis sententiam, tamen illa poena, ad sui executionem ipsius rei actionem requirant.

29. Confirmatur primo: Si huiusmodi leges non obligant ante iudicis sententiam, illa particula, quae in illis apponitur, scilicet *ipso facto*, vel *ipso jure*, frustranea essent, quod praecipue urget de particula illa, quae interdum legibus illis superadditur, nempe quod *ipso facto*, & sine alia declaratione, poena incurratur.

30. Confirmatur secundo: Illa particula sufficiunt, ut incurratur poena excommunicationis, suspensionis, & irregularitatis, ante iudicis condemnationem, ut omnes fatentur: Ergo idem erit de aliis poenis, tamen si positivae sint, & ad sui executionem, aliquam rei actionem requirant.

31. Ad objectionem respondeo, legislatorem habere quidem potestatem obligandi in foro conscientiae ad poenam iustam, ante sententiam iudicis, tamen si talis poena requirat actionem ad sui executionem, si id expediat bono communi, tunc enim illud non est existimandum intolerabile, & ipse reus tenebitur exercere simul utramque rationem rei & ministri ipsius legis; quia tamen regulariter loquendo, hoc non expedit bono communi, & esset nimis rigidum & intolerabile, praesertim si poena ipso facto subeunda, gravis & acerba sit, & natura valde repugnans, legislator, regulariter loquendo, non obligat ad subeundam poenam, ante sententiam iudicis, quando talis poena ad sui executionem aliquam rei actionem requirit, sufficit enim bono communi, si patiatur illam, post sententiam iudicis, eo vel maxime, quia exequi poenam requirentem aliquam actionem, per se loquendo, non ad reum, sed ad iudicem, & eius ministrum, pertinet, ut supra ostensum est.

32. Ad primam confirmationem, nego sequelam Majoris, licet enim leges humanae non obligent ad talem poenam, ante sententiam iudicis, particula illa, *ipso facto*, vel *ipso jure*, non ponuntur frustra in illis, quia aliquem alium effectum inducunt, nempe assignationem poenae, ipso facto, ita ut non requiratur sententia iudicis ad assignandam illam pro tali delicto, sicut requiritur in aliis legibus continentibus poenam ferendam, sed solum ad declarandum crimen patratum fuisse a transgressore legis. Illa vero particula, *absque alia declaratione*, superaddita aliis precedentibus, sumitur ad maiorem praecedentium explicationem, unde nec superflua, nec necesse est, ut habeat vim obligandi, ante iudicis sententiam.

33. Ad secundam, concesso Antecedente, nego consequentiam & paritatem, patet enim ex dictis in secunda conclusione, longe disparem esse rationem de poenis privativis, ac de positivis quae ad sui executionem aliquam rei actionem requirunt.

## ARTICULUS II.

*Verum transgressor legis poenalis teneatur in conscientia subire poenam legis, post iudicis sententiam?*

S. I.

*Quibusdam praemissis, difficultas proposita triplici conclusione resolvitur.*

Notandum primo, seu potius ex dictis articulo praecedenti recolendum, duplex genus poenae lege humanae statui posse: alterum consistens in pura passione, quae ad sui executionem nullam requirit actionem, praeter ipsum legislatoris imperium, aut iudicis sententiam, vel declarationem; ut sunt poenae inhabilitantes personas, irritantes contractus, & censura Ecclesiastica. Alterum est, poenarum quae ad sui executionem requirunt aliquam actionem, quae exerceri potest vel ab ipso reo vel ab alia persona distincta. Quoad primum genus poenae, cum nullam requirat actionem, praeter legislatoris imperium, vel iudicis sententiam, ad nihil tenetur reus ut illam incurrat, cum etiam illam invitus pati possit, solumque tenetur postquam illam contraxit, nihil agere contra eam. Solum ergo difficultas est de poenis secundi generis, an nimirum reus teneatur vel possit illas in se exequi, post iudicis sententiam, certum enim est, quod si sint iustae, & a iudice vel ministris eius infligantur, eas post iudicis sententiam pati & sustinere tenetur, alias daretur bellum iustum ex utraque parte, etiam nullam suppositam ignorantiam quod implicat.

Notandum secundo, poenas quae ad sui executionem aliquam actionem requirunt, esse adhuc duplicis generis, quaedam enim sunt quarum actio ad executionem requisita a nemine commodius exercetur, quam a reo qui poenam patitur, v. g. actio quae requiritur ad executionem exilii, vel poenae pecuniariae; aliae quarum actio ad executionem requisita, commodius exercetur a iudice vel ministris eius, v. g. actio quae requiritur ad abscissionem capitis, vel mutilationis alicuius membri. Praeterea actionum quae commodius exercentur a iudice vel ministris eius, quaedam sunt violentae, ut abscissio capitis; aliae vero non violentae, & quae voluntarie exerceri solent, ut flagellatio seu disciplina, quam Religiosi solent sponte suscipere, ad carnis macerationem. His praemissis, pro resolutione difficultatis propositae.

Dico primo, transgressor legis poenalis tenetur in conscientia subire, post iudicis sententiam, poenam illam, quae ad sui executionem requirit actionem quae commodius exercetur a reo, non vero poenam illam ad cuius executionem requiritur actio, quae commodius exercetur a iudice vel eius ministro.

Prima pars patet, nam quando quis exilio vel poena pecuniaria mulsetur, tenetur egredi de regno vel civitate, aut pecuniam solvere, hoc enim nihil crudelitatis aut iniustitiae continet. Potest tamen in pecuniae solutione expectare ut petatur: quia licet possit iudex injungere ut detur, quamvis non petatur, communititer tamen id non facit.

Secunda vero probatur ex eo quod sententia poenalis, sicut & lex, benigne est interpretanda, cum

cum sententia sit applicatio illius legis, quam benigne esse interpretandam, est communis animi conceptio & dispositio juris: Ergo non tenetur reus ad exequendam illam poenam in seipso, cujus executio commodius fit à iudice, vel ministris, sed sufficit esse paratum ad illam sustinendam, quando infligitur ab illis. Patet Consequentia, nam alia non benigne, sed durissime interpretaremur sententiam illam.

Dico secundo, non potest obligari reus à iudice per suam sententiam, ut sibi inferat poenam, ad cuius executionem requiritur actio violenta: v.g. non potest obligari ut seipsum occidat, vel mutilat, aut suis manibus sumat venenum, vel pereat inedia, tamen si cibi illi offerantur.

38. Probatur: Nam et si poena mortis, vel inedia, vel alia similis secundum se non sit inhumana, sed multoties iustissima & mitis, attentat criminum gravitate; iste tamen modus executionis, scilicet quod propriis manibus reus sibi inferat mortem, inhumanus est & crudelitate plenus, nihil enim magis abhorret natura, cui naturalis est vitæ conservatio, quam manus violentas sibi inferre usque ad internecionem: Ergo iudex suam sententiam non potest ad id obligare. Nec est paratio de quibusdam actionibus, quæ remotè tantum ad ipsius rei mortem cooperantur, ut patibulum ascendere, extendere linguam amputandam, collum denudare, illudve carnifici truncandum offerre; nam tales actiones ex se & ex natura sua indifferentes sunt, neque inhumanae & crudeles redduntur, quin potius commodiores & laudabiliores, si ab ipso reo executioni mandentur.

39. Ex his intelliges, quod sicut ex amore naturali erga parentes tenemur non inferre illis mortem, quamvis ad eam jusse damnati essent, & executio sententia nobis committeretur, ac præciperetur à iudice; ita neque erga nos ipsos possumus licite illam exequi. Ac ne quidem ad vitandam mortem acerbiorum, licitum est sibi, vel illis mortem mitiorem consciscere abscissione venæ, quamvis à iudice oblata, vel alio quopiam modo, quia iure & præcepto naturali prohibitum est propriae occisioni positive cooperari.

40. Intelliges etiam, falsam esse ad erroneam Tamburini, & aliorum recentiorum Casuistarum sententiam, quæ asserit, iuste damnatum ut fame pereat, posse oblatum panem respuere. Nam ut rectè discutit S. Thomas 2. 2. qu. 69. ar. 4. ad 2. Nullus ita condemnatur, quod ipse sibi inferat mortem, sed quod ipse mortem patitur. & ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur, tenetur tamen non resistere ag. ni. qui patitur quod iustum est eum pati. Sicut etiam si aliquis sit condemnatus ut fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occultè ministratum sumat, quia non sumere, esset seipsum occidere. Quæ ultima verba probant taliter condemnationem non modò posse, sed & teneri cibum sibi oblatum sumere, quia nulli fas est seipsum occidere. De quo fusius in dissertatione de probabilitate art. 3. §. 2. num. 105.

41. Dico tertio, potest iudex suam sententiam obligare reum, ut sibi inferat poenam, ad cuius executionem requiritur actio, quæ commodius exercetur à iudice, vel ejus ministris, dummodo talis actio violenta non sit.

Probatur, quia hoc nihil continet crudelitatis, & fit in domibus religiosis, & in officio sanctæ inquisitionis, in quo interdum reis præcipitur,

A ut suis manibus sumant disciplinam, seu levem aliquam & non ignominiosam flagellationem, quam solent multi spontè suscipere ad carnis macerationem.

## §. II.

## Corollaria precedentis doctrine

**F**X dictis colligitur, iudices inferiores teneri in conscientia ipsi, qui legem transgrediuntur, poenam lege taxatam imponere. Iudex enim ad hoc positus est à republica, ut per legum observantiam & custodiam, illam in pace & concordia conservet: Ergo contra suum officium ageret, si legum transgressores debitam poenam non puniret: Ille enim reipublicæ infidelis, an famæ daret ut passim vitia & delicta cum publico detrimento communitatis grassarentur.

Confirmatur, quia alioqui leges nullam vim haberent, nisi teneretur iudex poenam imponere, saltem quando non teneretur reus ante sententiam iudicis eam subire, quod ut plurimum contingere, ex ante dictis perspicuum relinquitur.

Dixi, iudices inferiores, quia legislator ex communi sententia potest poenam remittere transgressori; cum obligatio, si quam habet ad poenam imponendam, oriatur ex sola lege, quæ tamen non teneretur. Verùm cum ille potestate, quam habet condendi leges, & puniendi transgressores earum uti debeat in bonum reipublicæ, non erit liber à culpa, si reo sine causa rationabili poenam lege statutam condonet, cum talis impunitas in perniciem reipublicæ vergere soleat.

Dixi etiam, iudices inferiores teneri poenam lege taxatam imponere, quia non potest iudex inferior pro suo arbitratu poenam lege taxatam moderari, sed eam juxta legem teneretur imponere, ut patet ex cap. In istis, dist. 4. ubi Pontifex sic loquitur: In istis temporibus legibus, quantum de his homines iudicent, cum eas instituant; tamen cum fuerint instituta & firmata, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.

Ratio etiam suffragatur: Iudex enim non habet potestatem in lege dispensandi, nisi sit superior: Sed moderari poenam in lege positam, est aliquo modo in lege dispensare, si non in toto, saltem in parte: Ergo non potest iudex inferior poenam lege taxatam minuere, vel moderari, sed debet poenam lege statutam imponere; præsertim si poena sit pecuniaria, quæ interdum applicatur parti læsa, vel fisco, vel alijs, quibus jus aliquod per legem acquiritur; tunc enim poenæ diminutio in præjudicium tertij vergeret.

Quæres, an leges, quibus tributa imponuntur, sint pure poenales?

Respondeo negativè, quia tributa non sunt poenæ communiter, neque supponunt culpam quæ illis vindicetur, sed sunt subsidia quædam à populo debita Regibus ad onera muneris sui sustinenda. Nec obstat quod illa onerent subditos, cum discrimen sit inter id, quod est onerosum, & quod est poenale. Dixi, communiter, quia interdum tributum potest in poenam statui, potest enim Rex punire civitatem vel regnum, à quo injuriam accepit, impositione alicujus tributi. Unde Deuteron. 20. dicitur: Si quando accisus fueris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo.

Dividitur autem tributum in tres species, nempe in reale, personale & mixtum. Reale est illud